

tionem sufficientem præstet de non offendendo. — Resp. VII. Si uxor ob probabilem metum et periculum mortis, mutilationis, vel gravis, atrocisve verberationis, crudelis tractationis, etc. ex sævitia viri proveniens, propria auctoritate discedit, non tenetur redire ad virum, nec ad redeundum a iudice compelli potest, nisi eidem, prius sufficiens cautio de non offendendo præstetur, etiamsi vir ante omnia petat restitutionem uxoris, donec illius sævitia probetur. Abbas, in c. *Ex transmissa*. 8. de *Restit. Spoliat.* n. 2. et ibi doctores Pontius, lib. IX, cap. xxiii, n. 7; Gutierrez, loc. cit.; Engel, loc. cit., cum communi, arg. can. *De benedicto*. cau. 32, q. 4, et c. *Ex transmissa*. 8. de *Restit. Spoliat.* ubi dum mandat Papa, ut mulier discedens viro restituatur, additur: «recepta tamen sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre,» et c. *Litteras*. 13. eod.

49. *Quæ sit cautio sufficiens?* — Censetur autem cautio sufficiens, quæ fit per pignora, vel fidejussores, Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 40, cum communi arg. l. *Mandato*. 59. § fin. ff. *Manuati*, quam si ob inopiam præstare nequit maritus, sufficit cautio mariti juratoria. Sanchez, loc. cit., n. 38 et 42; Engel, h. t., n. 23; Pirhing, eod. n. 62; Layman, loc. cit., n. 17, cum communi, arg. Auth. *Generaliter*. c. de *Episcop. et Cleric.* Ratio est, quia «nemo potest ad impossibile obligari,» c. *Nemo de Reg. Jur.* in 6.

50. *Si sævitia viri, aut aversio animorum est nimia, tunc etiam sub cautione non tenetur redire.* — Si tamen tanta est sævitia, odium, aversio, passio, aut vindicta viri, ut per cautionem uxori sufficienter non esset provisum, ipsaque cautione non obstante, periculo exposita probabiliter censeretur, non tantum non restitui, sed viro adhuc cohabitans amoveri, et in loco probo ac honesto usque ad causæ decisionem tuto collocari debet, textu expresso c. *Ex transmissa*. 8. de *Restitut. Spoliat.* ibi: «Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod merito de ipso diffidat, alicui probæ, et honestæ mulieri usque ad causæ decisionem custodienda studiosius committatur in loco, ubi vir, et parentes ejus mulieri nullam possint inferre violentiam.» Et c. *Litteras*, eod. in fine, ibi: «Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet restitui, sed ab eo potius amoveri.»

51. *Idem dic, si sævitia est plene probata.* — Imo Pontius, lib. IX, cap. xxiii, n. 6. allegans plures alios, et rotæ decisionem, docet, quod si uxor plene probet viri sævitiam, cautionem de non offendendo accipere non teneatur, sed divortium absolute petere possit, eo quod tunc tantum cautioni huic locus sit, quando sævitia plene probata non apparet, sed indicia solum, et signa adsunt: non autem si sævitia concludenter probata habetur; tunc enim fragilitati cautionis fidentum non est.

52. *Praxis procedendi in causa sævitie.* — Ex dictis deducitur cum Gutierrez, lib. I, can. quæst. cap. xxiv, n. 5 et 6. Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 30; Layman, loc. cit., n. 17, praxis servanda a iudice ecclesiastico. Videlicet, quod, quando uxor ex causa sævitie petit divortium, iudex, interroget causam timoris de futura viri sævitia, petatque ut designet testes sævitiam probantes: quo præstito, si iudici causa timoris, et testes sufficientes videntur, statim interlocutorie pronuntiet, ut uxor interea ponatur in tuto apud honestam et probam matronam, viroque et consanguineis ejus prohibeat, ne malum aliquod uxori inferant, ipseque vir eidem alimenta, et litis expensas subministret, donec causa decidatur. Dein examinet testes, totamque causam, et videns, quod per sufficientem cautionem de non offendendo, uxori sufficienter provisum sit, jubeat eam ad virum sub cautione per eum præstanda redire: si vero sævitia plene probata, vel tanta esset, ut per cautionem uxor secunda non foret, divortium absolute institui debet.

53. *Etiam ob sævitiam uxoris datur divortium. Defensio est juris naturalis.* — Resp. VIII. Non tantum ob sævitiam viri, sed etiam ob sævitiam uxoris, præsertim insidiantis vitæ mariti, aut machinantis mortem illius, fieri potest divortium. Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 8; Abbas, in c. 1, h. t., n. 4. et ibi Hostiensis, n. 2. Joan. Andreas, n. 3; Ancharanus, in fine, Palao, de *Sponsalibus*. disp. 3, p. 6, § 9, n. 6. cum communi contra Glossam, in c. *Quæsit*. §. *vel alio, de Jurejur.* et nonnullos doctores. Ratio manifesta est; quia jus naturale cuivis concedit facultatem adversus vim injustam se tuendi, et periculum illius quovis modo declinandi, arg. l. *Vim*. 3. ff. de *Jure et justitia*. et l. *Itaque*. 4. p. ff. ad *Leg. Aquil.* ergo.

54. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod c.

Ex transmissa. 8. et c. *Litteras*. 13. de *Restitut. Spoliat.* aliaque jura ob sævitiam viri divortium concedentia, de sola sævitia viri mentionem faciant. Nam contra est; quod hoc ideo fiat, quia viri sævitia frequentioris casus non restringunt dispositionem legis.

Nec obstat can. *Quidquid*. 22, caus. 32, q. 5, ibi: «Quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, vel si accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda.» Resp. enim illum canonem non excludere causas in jure expressas; alias enim nec ob hæresin vir dimittere posset uxorem.

55. *De divortio ob morbum unius.* — Quæritur V. An? et quando ob morbum unius fieri possit divortium? Resp. Ad hoc quæsitum patere supra tit. VIII. de *Conjugio Leprosorum*. ubi vide.

56. *Ob recensitas causas non fit perpetuum divortium.* — Quæritur VI. An ob recensitas causas fieri possit divortium perpetuum; consequenter eo facto liceat innocenti ingredi religionem? Resp. Negative, communis. Ratio est; qui facta emendatione teneatur innocens iterum redire ad nocentem, et eum recipere.

Limitatur tamen quoad ingressum in religionem in divortio facto ex causa hæresis, juxta dicta n. 31 et 32.

De educatione prolium, et alimentatione eidem præstanda in casu divortii dicitur infra, et tit. seq. de *Restitut. dotis, aut omissione ejusdem, et aliorum.*

§ III.

DE DIVORTIO QUOAD THORUM PERPETUO EX CAUSA ADULTERII.

57. *Ob adulterium unius licet alteri institui divortium jure divino, et humano.* — Quæritur I. An? quando? et quomodo propter unius adulterium fieri possit divortium quoad thorum, et cohabitationem? Resp. I. Jure divino licitum est conjugii innocenti facere divortium quoad thorum, et cohabitationem ob consummatum, et culpabile adulterium alterius. Ita fere unanimis. Et quidem de jure divino patet ex Christi verbis Matth. 19. «Quicumque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem, mœchatur:» ergo propter fornicationem, quæ in conjugibus semper adulterium est, licet dimit-

tere. De jure humano constat ex c. *Significasti*. 4. c. *Ex litteris*. 5. et c. *Gaudemus* 8. h. t. cum concordant.

58. *Sive vir, sive mulier adulteretur.* — Nec refert, an vir, adulteretur, an mulier; enimvero huic ob adulterium mariti licitum esse solvere matrimonium quoad thorum et cohabitationem, docet Bosco, disp. 12, sect. 16, conclus. 2; Sanchez, lib. X, disp. 3, n. 6; D. Bonaventura, in 4, dist. 35, q. 3; Abbas, in c. *Intelleximus*. 5. de *Adulter.* n. 3 et ibi Hostiensis n. 3. et alii tam theologi, quam canonistæ fere omnes, contra Cajetanum in hoc singularem, cujus sententiam falsam, et temerariam vocat Sanchez, loc. cit., valde claro arg., can. fin., caus. 32, q. 5, can. *Si quis uxorem*. 4, caus. 32, q. 1, can. *Apostolus*. 3. can. *Placuit*, caus. 32, q. 7. Confirmatur ex illo Apostoli 1, ad Corinth. 7, v. 12. ibi: «Qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit (ob justam videlicet causam, quam ipse Deus allegat, fornicationem nempe, ut notatur can. *Apostolus*. caus. 32, q. 7.) manere innuptam, aut viro suo reconciliari.» Ratio est; quia non minus vir, quam mulier adulterando fidem violat conjugalem, ob quam violationem divortium licitum est.

59. *Idem est, si alterutra pars sodomiam committat, aut bestialitatem.* — Resp. II. Licitum est parti innocenti institui præfatum divortium, non tantum propter alterius carnalem copulam adulterinam naturalem, sed etiam propter sodomiticam, aut bestialem, et bestialitatem sive activam sive passivam, Sanchez, lib. X, disp. 4, n. 3; Covarruvias, de *Sponsal.* p. 2, cap. vii, § 5, n. 8; Pontius, lib. IX, cap. xxi, n. 5; Pirhing, h. t. n. 5, cum communi aliorum, arg. can. *Meretrices*, can. 32, q. 4, et can. *Dixit Dominus*, ead. cau. q. 1. Ratio est; quia etiam per talem copulam carnem suam in aliam carnem dividit contra matrimonii fidem exigentem, ut sint «duo in carne una» Genes. 2, hinc dicitur cit. can. *Dixit Dominus*, cau. 32, q. 1. «Cum illa unam carnem in alium diviserit, et se fornicatione a marito separaverit, non debet teneri.»

60. *Non item ob tactus, amplexus, et oscula etiam cum pollutione, sine copula facta.* — Resp. III. Nomine adulterii justam divortii causam præbentis non veniunt amplexus, oscula, tactus impudici, etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis sine copula

facti. Sanchez, lib. X, disp. 4, n. 9, 10 et 11; Pirhing, h. t., n. 5; Covarruvias, *de Sponsal.*, p. 2, cap. VII, § 6, n. 3; Layman, lib. V, tract. X, p. 3, cap. VII, n. 7; Bosco, disp. 12, sect. 16, concl. 2, rem more suo egregie deducens contra non paucos alios a Sanchez citatos. Ratio est; quia licet etiam hæc peccata sint contra fidem matrimonii, tamen quia per illa carnis in aliam carnem non fit divisio (quæ est radix divortii ex causa adulterii) indeque fides matrimonii integrè et consummate non violatur, sufficientem divortii causam non præbent: præsertim quod in odiosis, qualis est materia divortii, non late sed stricte interpretari oporteat leges, c. *Odia. de Reg. jur.* in 6.

61. *Solvitur objectio ex jure civili.* — Nec obstant l. *Consensu.* 8. § 3. *C. de Repud.* et alias leges civiles, ex quibus habetur, non tantum ob actuale adulterium, sed etiam ob tales actus, ex quibus suspicio adulterii generatur, rejici posse uxorem. Resp. enim, quod causa matrimonialis secundum canones, et Evangelium, non secundum leges civiles judicari debeat: unde licet de juri civili plures sint causæ divortii, quam de jure canonico, ut patet ex tit. ff. et *C. de Divortis et de Repudiis*, tamen non hoc, sed illud jus attenditur.

62. *Ob adulterium materiale commissum absque culpa non datur divortium.* — Resp. IV. Dantur insuper plures casus, in quibus ipsum etiam adulterium non præbet sufficientem causam divortii. Patet inductione. Nam I, quando adulterium tantum est materiale, et non formale; id est, si absque culpa committitur, divus Bonaventura 4. dist. 35, q. 1, ibi: « Non ex quacunque fornicatione » sit divortium, sed ex ea, quæ est culpabilis, Bosco, loc. cit., concl. 4, per totum; Sanchez, lib. X, disp. 5; Pirhing, h. t., n. 9, cum communi aliorum.

63. *Ut, si uxor ab alieno vi opprimatur.* — Tale est adulterium, quod cum muliere per vim oppressa committitur. Sanchez, loc. cit., n. 13; Bosco, loc. cit., n. 164; Pirhing, h. t., n. 10, cum Glossa communiter recepta in can. *Ita ne.* 3, cau. 32, q. 5. arg. eod. ibi: « Quis sanæ mentis putaverit, se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa, et oppressa carne sua exerceatur, vel expleatur libido non sua? » Concordat can. *Proposito.* 4. ead. can. et q. Ratio est; quia (ut ait Glossa citata): « Non debet quis dici perpetrasse, quod nolens fecit, vel passus fuit,

nec debent imputari, quæ per coactionem absolutam fiunt. »

Nec refert, quod uxor viro suadenti, ut ad declinandam imminentem violentiam fugeret, non fuerit obsecuta, sicque voluntarie quasi periculo se exposuerit, Sanchez, loc. cit., n. 14; Bosco, loc. cit., et alii per juratum. præced., citata, et l. *Vim passam.* ff. ad l. *Jul. de Adult.* ubi absolute, ac indistincte deciditur, non esse imputandum adulterium vim passæ. Neque obstat, quod non credendo, aut obsequendo fugam suadenti viro culpam forsitan commiserit. Nam contra est, quod non semper imputetur effectus ex culpa præcedente secutus, arg. c. *Quia diversitatem, de Concess. Præbend.* et ibi Glossa *ŷ. Suspensus.*

64. *Secus est, si metu mortis, aut alterius gravis mali tandem consentiat.* — Secus est, si mulier sine violentia ex metu gravi cadente etiam in virum constantem v. g. metu mortis adulterium admisit, Sanchez, loc. cit., n. 16; Bosco, loc. cit., conclus. 5; Pirhing, h. t., n. 11; Sylvester *ŷ. Divortium*, q. 9, casu 4, et teste Sanchez communissima aliorum. Ratio est; quia, cum talis metus non excuset a culpa mortali, nec a vero et formali adulterio, etiam non excusabit a pœna. Putant tamen aliqui, exigere charitatem, ut vir in tali casu injuriam remittat uxori, nisi alie graves causæ contrarium suadeant.

65. *Mulier aut vir ex ignorantia congregiendi cum aliena, non dat causas divortii.* — Porro ex eo capite, quod adulterium vacet culpa, et pœna, divortium institui nequit, si quis fraudulenter sub specie mariti alienam uxorem cognoscit, textu expresso can. *In lectum*, 6, cau. 34, q. 1 et 2. Item si mulier credens, maritum suum, jam esse defunctum, alteri nubit, Sanchez, lib. X, disp. 5, n. 11, cum communi, et certa aliorum; textu claro can. 1, cau. 34, q. 2, dummodo, postquam fuerit certificata de vita prioris conjugis, secundo non amplius adhæreat, nec debitum ei reddat; alias enim jam formale committeret adulterium, ejusque incurreret pœnas, ut loc. cit. bene advertit Sanchez, lib. X, disp. 5, n. 11; Sylvester, *ŷ. Divortium*, q. 9, casu 2. Hostiensis, in *Summa*, h. t., n. 8, et alii apud Sanchez.

66. *Neque fieri divortium potest, si unus alterum prostituat aut in adulterium consentiat.* — II. Casus, in quo ob adulterium non fit divortium, est, quando vir fuit uxori causa adulterii, veluti, si eam prostituat, vel adul-

terium consulat, aut in illud consentiat, Bosco, disp. 12, sect. 16, conclus. 5; Sanchez, loc. cit., n. 4 et 5; Pontius, lib. IX, cap. XVII, n. 7, cum Glossa communiter recepta in c. *Discretionem.* 6. *de Eo, qui cognovit Consang. uxor.* arg. cit. c. *Discretionem*, ibi: « Cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit. » Ratio est, quia « scienti, et consentienti non fit injuria, » c. 27. *de Reg. jur.* in 6. Quæ tamen injuria est causa divortii.

67. *Etiam tacite.* — Ampliatur, etiamsi tantum tacite consentiat, si nempe adulterium uxoris scit, et non contradicit, sed tacet, dum tamen contradicere et prohibere posset ac deberet, Sanchez, loc. cit., n. 5; Bosco, loc. cit., n. 203; Pirhing, h. t., n. 11, cum communi, arg. l. 2, ff. et *C. ad l. Jul. de Adult.* Ratio est; quia etiam « tacens consentire videtur, » c. *Qui tacet.* 43. *de Reg. jur.* in 6, ac « taciti et expressi idem est iudicium, » *Cum quid.* ff. *si certum petatur*, cum concordant. quod intellige, nisi ex metu gravi cadente in virum constantem a contradicendo, aut prohibendo impediatur; tunc enim tacens consentire minime censetur, nec privatur jure repellendi uxorem, prout, loc. cit., bene observat Bosco, a. n. 197; Sanchez, loc. cit., n. 5. et alii.

68. *Mulier etiam tacens ad adulterium, ordinariè non censetur tacite consentire.* — Imo ob hanc causam uxor tacens ad adulterium viri, quod ab eo committi scit, vel advertit, non censetur consentire, hoc ipso, quod ordinariè loquendo, fœminæ non audeant reprehendere viros. Accedit, quod, cum uxor sit inferior, et propterea ejus officii non sit, reprehendere viri tanquam superioris delicta, ejus taciturnitas non habetur pro consensu. Sanchez, lib. X, disp. 5, n. 5; Pirhing, h. t., n. 11; Bosco, disp. 12, sect. 16, conclus. 5, num. 201. Qui tamen ibidem num. seq. addit cum Aversa, quod, si uxor in iis rerum circumstantiis existeret, ut commode et absque damni periculo contradicere, ac impedire posset adulterium, non impediendo, vel contradicendo tacite consentire censetur; quia quoad corporis usum etiam vir subjectus est uxori, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 7: « Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. »

69. *Nec vir ideo tacens, ut uxorem alia vice cum testibus deprehendat.* — Illud tamen cum Bosco, loc. cit.; Pirhing, h. t., n. 12, et aliis notandum, tacitum non præberi consensum,

si quis conjugum sive vir, sive mulier certo sciens alterius adulterium, simulat se ignorare, et interea testes idoneos constituit, ad eundem observandum, ut dein de adulterio illum convincere valeat; quia juxta D. Thomam 4, dist. 35, q. un., a 3. ad quartam, et Asseclas, hoc licitum est; atqui non esset licitum, si id faciens tacite consentiret.

70. *Ob adulterium ab uxore occasione hujus commissum, quia vir eam expulit, aut alimenta negavit, etc., datur divortium. Peccatum contra naturam ob grave malum evitandum, non fit licitum.* — Porro non censetur vir causam præbere adulterii, nec uxorem prostituere, ita ut propterea privetur jure instituendi divortium, si eam domo expellit, et necessaria alimenta negat, indeque indirecte causat, quod uxor adulteretur, Sanchez, loc. cit., n. 6, eoque teste universi doctores, textu expresso c. *Significasti*, 4. h. t., et ibi Glossa *ŷ. Materiam*, rationem addens; quia mulier nulla conditione ad adulterium induci debet, arg. can. 1, cau. 32, q. 5, unde etiam non est ignoscendum ei, quæ prætextu paupertatis turpissimam vitam egit, ut dicitur l. *Palam.* 43. § *Non est.* 5. ff. *de Ritu nupt.* deberet namque mulier potius omnia mala sustinere, quam adulterium committere: « cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, » c. *Saceris.* 5. *De his quæ vi, met.*

71. *Si innocens nocenti injuriam remittit, non amplius instituere potest divortium. Juri suo renuntiare quævis potest.* — III. Casus, in quo ob adulterium non licet facere divortium est, quando conjux innocens nocenti injuriam remittit, Sanchez, lib. X, disp. 5, n. 19; Engel, h. t., n. 18; Pirhing, h. t., n. 14, Barbosa, l. 2, ff. *de Solut. Matrim.* et alii arg. l. *Si Maritus.* 15. § *Si negaverint.* ff. *ad l. Jul. de Adult.* et l. *Crimen.* 11. C. eod. ibi: « Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est. » Ratio est; quia, cum divortium ex causa adulterii in favorem innocentis conjugis introductum sit, eidem is renuntiare potest, cum regula juris sit, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, ut dicit imperator l. *penult. C. de Pactis.* Accedit et alia regula, videlicet, « quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, » c. quod 61. *de Reg. jur.*, in 6. et l. 6. *C. de Legib.* ibi: « Quod favore quorumdam constitutum est, quibusdam casibus ad læ-

sionem eorum nolumus inventum videri. » Certe autem sæpe in detrimentum et præjudicium grave conjugis innocentis redundaret, si nocenti adulterium condonare non posset, sed eum repellere teneretur: facile enim contingere potest, quod conjux innocens nocente ejecto vivat magno in periculo incontinentiæ, vel damnum patiat in re domestica, in educatione liberorum, etc., ergo.

72. *Innocens non tenetur ob adulterium dimittere nocentem, nisi aliud exigat scandalum.* — Nec obstant textus, ex quibus aperte constare videtur teneri virum expellere uxorem adulteram, consequenter non posse eadem condonare injuriam, ut c. 3. *de Adult.* ibi: « Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et particeps ejus peccati: » et can. 1, cau. 32, q. 1, ibi: « Sicut crudelis est, et iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est, et injustus, qui retinet meretricem; nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris. » Concordat can. *Si quis*, 4. ead. cau. et q. ubi tam viro, quam uxori innocenti injungitur, ut delinquentem adulteram partem dimittat, saltem ut pœnitentiam agat. Accedit verbum divinum Proverb. xviii, v. 24, ibi: « Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est, et insipiens. » Resp. enim, hos textus procedere in casu, quo ex retentione oriretur scandalum in populo, uti contingere potest, si adulterium est publicum: vel si retentio scandalum foret ipsius conjugis, utpote ex hoc liberius peccantis: tunc enim ad eam dimittendam saltem ad tempus, et ad correctionem peccantis, obligatio esse potest: secus si scandalum ex omni parte abest, et nocens jam pœnitet, et se emendat, prout cum divus Bonaventura, in 4, dist. 33, a. 1, q. 2, et D. Thoma ead. dist. a. 2. observat Pontius, lib. IX, cap. xvii, n. 3; Bosco, loc. cit., concl. 8 et alii.

73. *Potest injuria adulterii condonari expresse.* — Cæterum potest conjux innocens nocenti, adulterium, et injuriam expresse, vel tacite remittere, condonare, et per consequens suo juri faciendi divortium renuntiare. Prout doctores num. præced. citati bene observant. Expresse condonat, quando verbis, aut litteris manifestis id indicat, arg. l. *Si maritus*, ff. ad l. *Jul. de Adult.*

74. *Tacite, ut si vir post cognitum adulte-*

rium cum adultera copulam habet. — Tacite vero condonat injuriam, suoque renuntiat juri variis modis. Primo, si innocens conjux conscius adulterii ab altero commisso nihilominus sponte ac libere cum conjuge adultero copulam habet, Sanchez, lib. X, disp. 14, n. 6; Bosco, disp. 12, sect. 16, conclus. 9; divus Bonaventura, in 4, dist. 33, a. un., q. 1; Hostiensis, in *Summa*, tit. *de Adult.*, n. 3; Pirhing, h. t., n. 14, cum communi tam theologorum, quam juristarum, et Glossa in c. fin. v. *Fornicationis. de Adult.* per jura n. 71. citata, juncta l. *Quæsitum*, 40. § *Idem queritur*, ff. ad l. *Julianam de Adult.* Ratio est; quia per talem copulam carnalem, caro nocentis conjugis adulterio prius divisa, iterum una efficitur caro cum carne conjugis innocentis.

75. *Vel eidem familiaritatis conjugalis signa exhibet.* — Secundo condonare censetur tacite, quando post adulterium cognitum innocens nocenti familiaritatis conjugalis signa exhibet, v. g. eum amplexando, osculando, impudice tangendo, aut cum eodem ridendo, ludendo, jocando, comedendo, etc. Sanchez, loc. cit., n. 18; Bosco, loc. cit.; Engel, h. t., n. 18; Pirhing, loc. cit. Ratio est; quia per tales actus censetur aboleri injuria, prout docent Jason, l. 1, ff. *de Pactis*, n. 13, item Glossa, et doctores communiter, § fin. *Instit. de Injuriis*.

76. *Aut adulteram voluntarie domi retinet adulterio jam existente publico.* — Tertio, si etiam absque his signis innocens nocentem domi retinet, adulterio existente publico, Sanchez, loc. cit., n. 17; Pirhing, loc. cit., n. 13; Hostiensis, in *Summa. Tit. de Adult.*, n. 5, et alii plures a Sanchez relati: textus expressus habetur, l. *Crimen*, 10. C. ad l. *Jul. de Adult.* quem vide n. 71. Ratio est, quia talis retentio est manifestum amicitie signum, si adulterium jam est publicum; nam si est occultum, non libere, sed ex præcepto saltem in foro externo eum retinet juxta dicenda infra.

77. *Conditiones requisitæ ad hoc, ut quis censeatur tacite remittere injuriam adulterii.* — Ut autem ex dictis tacita præsumatur condonatio injuriæ, duo requiruntur. Primo ut innocens prius bene sciat adulterium ab altero commissum, et tamen aliquem ex recensitis actibus exerceat, Sanchez, loc. cit. numer. 9; Bosco, loc. cit., concl. 9; Hostiensis, loc. cit., numer. 5; D. Bonaventura, loc. cit., numer. 7; Surd., *de Aliment.*,

tit. VII, q. 16, n. 101; Pirhing, loc. cit. et alii communiter. Ratio est, quia nulla est remissio, ubi est ignorantia injuriæ, jurisque competentis, l. *Manifestissimi*, 22. C. *de Furt.* « Et actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, » l. *Non omnis*, ff. *Si certum petatur*; ac intentio remittendi injuriam esse nequit, quando injuria ignoratur. Nec sufficit, quod jam habeat rationes dubitandi, aut suspicandi; cum in dubio non possit privare conjugem jure suo, sicque ex præcepto faciat, quod facit.

78. Altera conditio est, ut hujusmodi actus tacitam condonationem indicans ab innocente sponte ac libere exerceatur; si enim ex metu et timore damni, aut præjudicii alias sibi imminenti, aut ex præcepto iudicis id facit, tacite condonare non censetur, nec admittit jus divortii, Sanchez, loc. cit., n. 13 et seq.; Bosco, loc. cit., n. 338 et seq.; D. Bonaventura, loc. cit., q. 3; Abbas, in c. fin. *de Adult.*, n. 7 et ibi Hostiensis, n. 3; Pirhing, loc. cit., n. 14, cum communi aliorum. Ratio est, quia talis condonatio debet procedere ex liberali voluntate condonantis; at « nemo in necessitatibus liberalis existit, » l. *Rem ligatam*, ff. *de Adimend. Legat.*

Pariter non censetur libera, si quis ex ignorantia juris sui, putans, se ad hos actus teneri forsitan ab alio ita male edoctus, hujusmodi actum exercet; ut cum aliis bene observat Sanchez, cit. lib. X, disp. 14, n. 16, per jura præced. num. allegata.

79. Cæterum nihil refert, utrum ante vel post divortium, aut sententiam iudicis, vel lite pendente injuriam facite, aut expresse condonet; semper enim censetur renuntiare juri divortii, ita, ut si ante divortium facite, aut expresse condonet, non amplius audiatur, si post factum jam divortium teneatur nocentem iterum recipere, ut bene advertit Sanchez, lib. X, disp. 14, n. 7; Barbosa, l. II, ff. *Solut. Matrim.*, n. 100; Pirhing, h. t., n. 14, quia non est major ratio de uno quam altero; potestque innocens semper condonare injuriam per dicta n. 71, consequenter, si expresse, aut tacite id facit, semper suum effectum habebit.

80. *Si uterque adulteratur, divortium fieri non potest.* — IV. Casus est, quo ob adulterium unius fieri non potest divortium, si alter quoque adulterium commisit, et dividendo carnem suam in alteram carnem, conjugii fregit fidem, Bosco, disp. 12, sect. 16; concl. 6; Sanchez, lib. X, disp. 5, et

disp. 6, eoque teste omnes, claris juribus c. *Significasti*, 4, h. t., ibi: « Nisi constaret, ipsam cum altera adulterium commisisse, » c. *Intelleximus*, 6, et c. fin. *de Adult.*, ubi etiam ratio habetur, videlicet, quod paria crimina, mutua compensatione tollantur, et deleantur. Quæ ratio etiam adducitur l. *Viro atque uxore*, ff. *Solut. Matrim.*

81. *Nec refert, quod unus prius, alter posterior sit adulteratus.* — Nec refert, quod unus prius altero commiserit adulterium, Bosco, loc. cit., Sanchez, lib. X, disp. 6, n. 6, eoque teste omnes cum Glossa in c. *Veniens*, v. *Sponte. de Convers. conjugat.* Ratio est, quia jura præced., num. citata, cum concordant. solum attendunt læsam ab utroque fidem conjugalem, nulla habita ratione posterioritatis, aut prioritatis.

82. *Aut unus gravior, vel sæpius altero.* — Pariter non refert, quod unus sæpius quam alter, aut gravior quam alter, v. g. unus semel cum soluta, alter decies cum persona conjugata deliquerit, Bosco, loc. cit.; Sanchez, loc. cit., num. 4 et 8; Pirhing, h. t., n. 8; Avers. et alii. Ratio est, quia licet in tali casu non sit paritas delictorum quoad numerum vel malitiam; est tamen paritas in hoc, quod pro quovis horum fiat injusta, et contra fidem matrimonii principaliter tendens divisio carnis in alteram carnem, quæ est radix divortii, ex causa adulterii instituendi.

83. *Vel unus adulterium occultum, alterius publicum.* — Item non refert, etsi unus adulterium sit publicum, alterius occultum; quia etiam occulte adulterans, in foro interno privetur jure faciendi divortium ob adulterium ab altero publice commissum, adeo ut peccet mortaliter, qui ipse coram Deo adulterii reus alterum ob simile delictum publicum repellere, aut debitum conjugale negare vellet, D. Thomas, in 4, dist. 35, q. un, a. 6. ad 5; Sanchez, lib. X, disp. 6, n. 9; Bosco, loc. cit.; Joan. Andreas, in c. fin. *de Adult.*, n. 7, et ibi Ancharanus, n. 5; Abbas, in c. *Significasti*, h. t., in fine, cum communi, arg. can. cau. 32, q. 6. ubi in principio sic: « Non videtur, quod pari crimine infectus alium de eodem punire possit. Unde cum Judæi adulteram accusarent, æquitatis sententiam acceperunt, quicumque vestrum sine peccato est, primus lapidem in illam mittat (ecce publicam adulteram accusantes reprehenduntur ob eadem peccata sua occulta). » Hinc etiam in Evangelio præcipitur: « Hypocrita, primum ejice trabem de oculo